

pinguet oratio &c. Videmus nunc per Speculum in enigmate : tunc autem Facie ad Faciem. Et ne quis cum Barneto excogitet , tantummodo tunc Iustos ad tantæ felicitatis apicem deveniendos , quam Corpora in Resurrectione recipient , dilerte monet S. Doctor , vel sine Corpore Beatitatem ejusmodi Animabus esse deferendam ; subdit enim : **TUNC REVELATA FACIE GLORIAM DOMINI SPECULARI LICEBIT** , quam nunc Animæ Corporis hujus concreta visceribus involute , & quibusdam Carnis hujus maculis & colluvionibus obumbratæ , sincere videre non possunt . Propterea auditoribus suis animos addit , ut intrepide diem Mortis , de qua agit , excipiant , quia ipsam remunerationem non retardata in Sæcula , uti Barnetus dicitur , sed cito subsequetur . Non timeamus igitur , inquit , recipi (idest abscedere) ab hominibus ; non vereamur illum debitum omnibus Finem . In Quo Esdras Remunerationem suæ devotionis invenit , dicente ei Domino : Tu enim recipieris ab hominibus , & **CONVERSABERIS RESIDIUM CUM FELLO MEO , ET CUM SIMILIBUS TUIS** . Quod si illi gloriosum & jocundum erat cum similibus conversari : quanto nobis gloriosius erit & jocundius **AD MELIORES PERGERE** , & Conversari eum , iis , quorum facta miramur ? Esdras revelavit secundum consuetam in se revelationem **IUSTOS CUM CHRISTO FUTUROS , FUTUROS CUM SANCTIS** . Animadvertite heic , quam corrupta sint in editis Pseudo-Esdræ verba ab Ambrosio commemorata . Scilicet Lib. iv. cap. 9. legitur in vulgatis : Tu enim recipieris ab omnibus (idest , diem tuam obibis .) Converteris residuus cum consilio meo & cum similibus tuis , usque quo finiantur tempora . Quæ postrema verba mirifice confirmant , secundum Esdræ , sive Ambrosii mentem , Iustos cum Christo in Beatitudinem futuros , antequam postremus humanarum rerum & Sæculi finis adveniat . Parum tamen est , quod hæcenus dixi . Meridiem nobis facit Mediolanensium decus Ambrosius cap. xii. subsequenti . Lectorem non pigeat plura ejus accipere verba : His igitur freti , intrepide **PERGAMUS AD REDEMPTOREM NOSTRUM JESUM : intrepide AD PATRIARCHARUM CONCILIUM : intrepide ad patrem nostrum ABRAHAM** , quum dies (utique Mortis , de cujus Bono loquitur) advenit , proficiscamur . Sanctum Cyprianum in Libro de Mortalitate , ad calcem hujus Opusculi mei legendo , Ambrosius heic præ oculis habuit , atque aliis verbis est imitatus . Propterea subdit : Intrepide **PERGAMUS AD illum SANCTORUM COETUM , JUSTORUMQUE CONVENTUM** . **IBIMUS** enim ad Patres nostros : **ibimus** ad illos nostræ Fidei Præceptores : **ibimus** & **UBI SINUM suum ABRAHAM SANCTUS EXPANDIT** , ut suscipiat Pauperes , sicut suscepit & Lazarum . **IN QUO SINU REQUIESCUNT** , qui in hoc Sæculo gravia atque aspera susceperunt , Constitimus heic aliquantulum . Vides , per verbum *Requiescere* ab Ambrosio quoque Beatam in Cælis Vitam designari . Vides , quid Mediolanensi Episcopo fuerit *Sinus Abraham* , Beatorum videlicet *Locus* , *Patriarcharum Concilium* , *Sanctorum Coetus* , *Iustorumque Conventus* .